

[illegible] Laurentius.
[illegible] Alb. Joach. Aureola immortal
gloriae

AUREOLA
Immortalis Gloriæ.
Pro Virtutibus, Meritis, & Laboribus,
Illustris olim Clarissimi & admodum Reverendi Domini
M. LAURENTII SAŁTSZEWICZ,
Sacræ Theologiæ PROFESSORIS, Ecclesiarum Collegiatæ Sanctæ ANNÆ & Parochialis in Proszowice PRÆPOSITI, Geometræ Jurati, &c:
In sinu æternitatis
REPOSITA.
& dum Ei
In Ecclesia Collegiata Sanctæ ANNÆ
Cum maximo Ordinum Academicorum dolore
justa Funeralia persolverentur,
à

M. ADALBERTO JOACHIMO FOLTANSKI
Philosophiæ DOCTORE, Ejusdemq; Regio ac Tyliciano Eloquentiæ PROFESSORE, COLLEGA MAJORE, Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ CANONICO, ibidemq; Festorum SALVATORIS & B.V. MARIÆ CONCIONATORE.

Lugubri Stylo & Calamo
ADUMBRATA.
Annô à principio nostræ Salutis 1762. Die 22. Mensis Aprilis.

CRACOVIÆ Typis COLLEGII MAJORIS.

A U R E O L A
Immortalis Gloriæ.

O miram rerum temporumq; viciſſitudinē!

Redeunt gramina campis arboribusq; comæ
& pars nobilior Univerſi
Animata humus arborq; inverſa homo,
in Vere eXperitur Autumnum.
Ingreßus nuper ſignum Arietis Sol
vix non ſingula ſub concavo Lunæ poſita
ſuo calore animando vivificat,
& in Mycrocoſmo ſeu parvo mundo homine
non modo æſtas, ſed & ætas friget.
Dicitur rebus Sublunaribus ab aperto tempore Aprilis
& hominibus extra tempus eſt aperilis.

Etenim

Cum lætis decorantur floribus horti,
miſeri terrigenæ ferales ſpectamus cupreſſos,
Dum reſonant avibus virgulta canoris
in præficias Niobenq; converſi mortales
vel lugubres lachrymabili voce intonamus leſſus,
vel illos per aures aurasq; reſonantes ægrè percipimus.

O ætas æſtasq; hominum!

Quomodo ſupra variabiles annorum es præcipitata rotas.
O mirabiles terrigenis annorum Revolutiones!
Ante heſperum intuentur tenebras,
& necdum ad ipſum occaſum declinante die
plusquam Cymmerias experiuntur noctes.
Quomodo mutârunt homini elementa fidem!
dum ex quibus componitur ab illis deſtruitur.

Idem

Idem ignis qui vivificat, incinerat,
Idem aër à quo pascitur, inficit,
Aquosus humor qui reficit, submergit,
terra ex qua conglutinatur, eum in cineres resolvit.

Verùm

Modicum vel nil, me judice tempori debent
qui solùm ad adesse non ad esse tempori vixerunt,
Ex se & pro temporis exigentia ad adesse
semper vixit fuit fecitq;
Illustris olim Clarissimus & Admodum Reverendus Dominus
M. LAURENTIUS
SAŁTSZEWICZ,
Sacræ Theologiæ PROFESSOR
Ecclesiæ S. ANNÆ PRÆPOSITUS &c:
quæ non modò dies diei indicabit scientiam,
sed simul testis omnium fatebitur conscientia,
et vallata immortalitatis privilegiis evincent munimenta.

Et ideo

Etiam nonnisi hoc sibi videtur de tempore vendicare nunc,
quod cùm aliis ver amænum adaperiat campum prosperitatis.
Ille lassatus laboribûs
Venerandus Authoritate & Seniô
Conspicuus virtutibûs meritisq; PROFESSOR
in æternitatis sinu recipiat Aureolam.
Juxta commune Philosophorum Dogma:
Fit plerumq; à potiori denominatio
Eccur non debeat dici Immortalis Gloriæ redimitus AUREOLA
Qui sua nobiliori in parte
quæ æviterna digna sunt gessit memoria.

Nempe

In Universitate Cracoviensi D. Jagelonis Athenæo
cum se illo (quod est Mysterium laborum) obstrinxisset Sacramento

illud inviolabiliter & usq; ad mortem ſacroſanctè ſervavit
non unicâ ſtato tempore fideliter laborando horâ
quia emeritiſſimus & laborioſiſſimus ubiq; locorum
ultra quadraginta Annos in Statione Academica PROFESSOR
Enim verò
Non hic quemq; ætas ſua vel dignitas eximit,
non impoſita negotiorum alleviat moles
non debilitas fractaq; diſpenſant vires,
non tenuior & non ad menſuram laborum excuſat fortuna.
Uti eſt ſemper Academicum pati,
ita quousq; in vita hucusq; in tabula.
Vir hic verè Academicus
eundem laboris & eruditionis verum retinuit amorem
quem Illi Alma Scientiarum inſtillavit MATER
Hunc ſi quæ quandoq; fuerunt adverſa,
non extinxerunt, ſed probârunt.
Ejus prima ætas optimîs fuit imbuta artibûs
quod ex juventutis flore certocertius portendebant illi,
quibus aliquomodo præſcientia vel futurorum notitia eſt conceſſa.
Florem hunc in Vere
Nullus debuerat concoquere fervor,
cum tales necdum in autumno protulerit fructus.
In Schola Regni hoc optimè didicit
quod unusquisq; non ſolùm ſuo Nomini,
verùm & propriæ debeat correſpondere vocationi.
Proinde
Per omnes ſcientiarum maturo paſſu procedendo gradus
quidquid in Academico calcaverat Luco
ſi non ut Perſeo roſa fuit LAURENTIO
tunc non una cum *Theagene* dignum Coronâ.
Hinc
Aurum auro an veriùs laurui laurum
viſu

visa fuit addidisse Jagelonica Pallas,
dum Ejus emeritum Caput
utrâq; in Philosophia redimivit Laureâ.
Sub hoc pulcherrimo eruditarum mentium Serto
nunquam ad Scholasticum Phæbum umbram quæsivit,
quia in laborum æstu continuus fuit.

Quinimo

ut palma sub pondere crescit,

sic Ille:

sub acervatis non semel agmine toto laboribus
surgebat, crescebatq; altiùs;
donec ad Immortalis Gloriæ AUREOLAM
non unâ redimiendum cidarî attulisset Caput.
Eum, ut dicunt, sic dicent suum esse DIRECTOREM
Volboriensis in Majori Polonia,
Biatensis in Podlachia & Lithvania,
perantiquæ celebresq; nuper Coloniæ.
Si in parte exprimere possem, vel ea ipsa,
(*In Academia Albæ Ducalis non pridem ejus Successor*)
quæ non solùm hîsce oculîs vidi,
& manibûs, revolvendo ejus Coloniæ documenta palpavi,
verùm etiam ex ore PROCERUM audivi,
pro amore Boni communis & Honoris Academici commendatione
quantum Vir Iste tulit, sudavit & alsit.
Sed non indigent digitô monstrari,
quæ usq; hodie publica versantur in luce.
Etsi Tullianîs fontibûs ebria esset penna,
nunquam satis in paginam effunderet,
quas in faustissimo sui Regimine
curas solicitudinesq; sustinuerat?
quâ prudentiâ, in educanda usus fuerat juventute?
quos pro vindicandis censibus sumptus erogaverat?
Habet si qua sui in parte *Lithvanus Sonipes*,

 Dexteri-

Dexterrimos pro Focis *Achilles*
Illi Eum non ſinunt recognoſcere *Hironem*.
Si non deſunt pii ad Aras *Æneæ*,
ſed parati ſunt ſuum *Anchiſam*
etiam è ſepulchralibus efferre cineribus.
Quamvis muti ædificiorum parietes
gratias illi agerent, ſi præ natura poſſent:
cujus operæ & pretio debent majori ex parte,
quòd elegantiori ore Illius Lycæi loquantur decorem.
Quantus fuerit in Viro hoc pro Juribus Academicis zelus?
Teſtem Te appello!
Judiciorum Tribunalitiorum M. D. Lithvaniæ
extra Athenienſium Areopagum percelebris Sedes *Vilna*.
Quam non peregrinando domi
toties nec ſuis viribus, nec ſumptibus parcendo,
non ideo ut tui amplitudinem vidiſſet, profectus fuit,
verùm ut Studii illis in oris Academici
ampliſſimos lucraretur Mecænates & Aſſertores.
Sive domi ſive foris manentem
ſemper Illum Magnatum concomitabatur amor.
In Celſiſſima
PRINCIPE & DUCALI RADZIVILIORUM DOMO
ex incredibili ſua prudentia,
ex mira rebus in agendis dexteritate,
ex integritate vitæ morumq; gravitate,
utì ſemper benè notus, ita nunquam peregrinus fuit.
Gentilitia DOMUS Hujus CELSISSIMÆ *Aquila*,
Hunc *Ganymedem* non ſolùm indies rapiebat ad menſam,
verùm etiam intima cordis patefaciebat penetralia.
Sicq; eum in Aulis PRINCIPUM,
quibus placuiſſe non poſtrema laus dicitur,
& domeſticum, & familiarem faciebat.
Eſt virtutis comes invidia,
plerumq; bonos inſectari ſolet.

Hæc

Hæc illi ſæpè ſerpens in via,
& ceraſtes fuit in ſemita,
Sed tantum illi malevolorum obfuit livor,
quantum fonti luminum officiunt nubes.
Ejus ſemper intaminatus virtutis ſplendor,
ſic ex illis, (quæ minimè dici poterant) erumpebat tenebris,
ut non ſolùm perſtringeret Zoilos, ſed & excæcaret.
Vidit hoc Aquilinâ ſui palpebrâ,
Virorum & ingeniorum Ocellus,
Qui pro innata PRINCIPIBUS perſpicacia,
lintrem, à lintre,
Scapham, à ſcapha diſcernere poterat,
PRINCEPS *olim* CELSISSIMUS,
M. D. Lithvaniæ VEXILLIFER,
HIERONYMUS, FLORIANUS RADZIWIL,
quomodò debilior oculus etiam in Sole videt maculas,
quas tamen mens non admittit ſolertior.
Et ideo
toties de Viro hoc vivæ vocis teſtatus oraculô,
utinam æquè ſimiles SALTSZEVIO
in Ducali hac Colonia haberem DIRECTORES.
Probavit id ipſum,
Subjectorum Lydius Lapis, & Arbiter,
Primorum Regni hujus, & M.D.L. Procerum Corculum,
Divini Honoris zelô Magnus PONTIFEX,
prudentiâ, authoritate, conſiliô maximus CONSUS,
non ſolùm JAGELONICARUM Craci in Urbe,
ſed & Vilſcianarum illis in Oris,
ſemperq; & ubiq; Academicarum Muſarum,
Aſſertor, Protector, Mecænasq; ampliſſimus
Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus
LUDOVICUS *de* RIAUCOUR

 EPISCO-

EPISCOPUS Ptolomaidæ,
OFFICIALIS Generalis Breſtenſis,
& per Tractum Podlachiæ,
Słucenſis, Narvenſis, Białenſis &c:
PRÆPOSITUS,
Bene ſibi notas, perſpectasq; ejus habuit dotes,
cujus animi talenta non poſtremasq; virtutes
ut plurimùm nuper æſtimaverat,
ſic & ad præſens æſtimat ac appretiat.
Pluris faciebat ſibi unum Epheſtionem Alexander,
quàm multos Antipatres.
Ut cordi hujus Magni Præſulis Vir adhæſerat iſte,
& ſinceræ intaminatæq; mentis probârunt ſigna,
& patetica incredibilis benevolentiæ evicerunt documenta,
Et ut quædam deſideriorum corona
fuit Illi ſemper LAURENTIUS,
ſic Ille SAŁTSZEVII, vel in hoc maximè non defuit votis,
quòd non ſolùm Academici,
illiusq; Univerſalis Poloniarum in Regno,
primo ad Vandali oſtia in Fonte Studii,
verùm etiam Academicarum in partibus Lithvaniæ Muſarum,
Magnus inter Maximos, ſit *Protector Mecænasq;.*
Quinimo
quot olim *Darius Zopyros,*
tot Ille ſemper optabat ſibi SAŁTSZEVIOS,
utì Virorum unum,
Cui & cordis penetralia poſſet patefacere,
& negotiorum ſuorum committere molem.
Enimverò
oblita nunquam Illi verſatur in mente,
quomodo in Præpoſitura *Białenſi*
ſuæ Authoritatis, & laboris ſub hoc VICE-PRÆPOSITO
infelices nunquam expertus fuerit vices.
Inſuper

Insuper
Cujus dicta, (ut ajunt) aurô cedrôq; notanda censuit,
& facta albô calculô notavit;
Virum omnibûs numerîs absolutum,
& quà agere, & quà dicere paratum,
Sui GENERALIS OFFICII *Brestensis*
& per Tractum *Podlachia,*
CONSISTORIALEM habere voluit NOTARIUM.
Ast Vir Ille verè Academicus,
maluit gradum virtutis promereri,
quàm (ut plerisq; libet) fortunæ.
Non ex tenui illius Coloniæ Salario
sed quidquid ex Mathematicis Lucubrationibus,
quas PRIMORUM illis in oris PROCERUM
MAGNIS semper dicaverat NOMINIBUS
lucratus fuerat gratiosissimè,
id omne in Bonum Commune effusissimus
sinè omni repetitione in illam Coloniam transfuderat,
Nempe,
quæ ultra ordinariam perceptam, *quatuor erogaverat Millia*
hæc, *ex retentis*, per Successores vindicanda *Censibus*,
reparationis utilitatisq; publicæ gratiâ,
ut ex authenticis liquet documentis,
illi Academiæ liberalissimè cessit.
Illo sub Horizonte Academicarum Musarum plantationem,
non potuit non relinquere fructiferam;
cui pro incremento Academici Studii excolendi,
non modò semel ab UNIVERSITATE missus,
operosas, sedulò adhibuit manus,
verùm ternîs vicibûs à Protectoribus Ejus Coloniæ requisitus,
à PATRIBUS almæ hujus MATRIS, missus,
o quantus! qualisq; zelus! amorq;!
sine dispendio virium suarum iterum rediit,

redeundo, ſed nemini præripiendo palmam
immortalis gloriæ Aureolam ſibi comparavit.
Si hæc foris peregrina alicui videntur,
ſunt domeſtica, in ſinu Almæ hujus Matris documenta.
Ut generoſos ſemper & ubiq; locorum animos,
ita Viros verè Academicos,
ipſe & nutrit, & exſatiat labor.

Proinde

Univerſitati huic incorporatus,
laboris, & curarum in ſtatione Academica ſemper famelicus fuit,
Ceſſit tandem Illi in alitum immortalis gloriæ,
quæ non eſt poſtrema pars laboris,
& alimentum Virorum in Univerſitate Noſtra,
Ariſtotelicò Thomiſticus-Curſus.
Fuit Ille Vir amator Sapientiæ.

In Logicis

velut Lydius aurum ſecernens à ſcoria Lapis
fraudes & ſophiſmata detegendo
ipſam inquirebat veritatem.

In Phyſicis

ceu Sol ſuîs radiîs omnia pandens & aperiens,
naturas & abdita ſcrutando rerum
earum non petendo oracula Phæbi patefaciebat arcana.

In Metaphyſicis

acſi Aquila, in profundam vallem è monte proſpiciens,
rerum prima penetrando principia
profundiſſima manifeſtabat quæq;.
Quantùm *Facultate* in *Philoſophica* laboravit,
non tantùm iu *Libris Decanalibus* ſunt documenta,
verùm & *publicæ diſputationi* expoſitæ teſtantur Theſes.
Has unà cum *Theologicis* nuper dicaverat
Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino
LUDO-

LUDOVICO *de* RIAUCOUR,
EPISCOPO PTOLOMAIDÆ,
OFFICIALI Generali BRESTENSI & per Tractum *Podlachiæ*
Poſt conſummatum *Ariſtotelicum Thomiſtico* Curſum,
repetitîs vicibûs *Artiſtarum* DECANUS,
Facultatem Illam,
quæ in Univerſitate hac dicitur Virorum Seminarium,
ſuo in Magiſtratu nunquam remiſſus ab opere,
non modò excolebat uſq; ad ipſam meſſem,
ſed ſimul digniſſimus PROMOTOR,
quot ſubjectis, tot exornavit floribûs,
ex quibus in ſuo nunc Senio alma ſcientiarum Mater,
maturos eruditionis & gloriæ legit fructus.
Ordinarius nuper *Matheſeos* PROFESSOR,
curſum & recurſum revolvendo ſiderum,
Cæleſtes in hoc vel maximè imitabatur Sphæras,
quòd illi nunquam mora, nunquam requies fuit,
dum ad ipſum vitæ terminum, nunquam retrogradus,
circa idem laboris verſabatur centrum.
Ut nulla APELLI fuit ſine linea dies,
ſic SALTSZEVIO nulla effluxit hora,
quæ non fuiſſet ejus immortalis menſura gloriæ.
Nil unquam quantumvis fractis conceſſit viribus.
Ad qualemcunq; Academicam requirebatur Spartã,
licetſi pro dignitate ætate & debilitate ſua,
omnino ſtringi non poterat,
illam pro Bono Communi non rugoſa acceptabat fronte.
Fuit illi uſq; ad funera pertinax laboris ſtudium.
Et ideo quod Viris Academicis commune
inſerviendo aliis, conſumptus eſt.
Accepto nuper in *Geometrica dimenſione* opere,
non Eum vix non ultra Annum protracta mora,
non temporis & àëris inclementia,

non demum fractæ potuerunt retrahere vires.
Redux, etiam ab his, à quibus exemptus fuerat curis,
utì nunquam sic & nuper exemptum non se voluit.
In Solemni die Resurrectionis CHRISTI Domini,
post Matutinum, Missam, Vesperasq;
in Ecclesia Divæ ANNÆ *absolutas*,
primò in febrim incidens,
dein omnibûs munitus Sacramamentis,
atq; ultimæ voluntatis suæ
relicta in manibus EXECUTORUM Dispositione,
post mediam, circa quartam horam, noctem,
placidissimè in Domino requievit.
Proh dolor!
jam Ille exigua clauditur in urna,
Qui de Regnorum & Provinciarum amplitudine,
collectam, typisq; mandatam nuper Geographiam,
Illustrissimo WIELOPOLSCIORUM insignitam *Nomine*
in *Academi Luco*, luci publicæ exposuerat.
Jam est expertus *rebus fata inimica secundis*,
Qui de *Cometis*, à condito Orbe non levè *Opusculum*,
sub Protectione *Illustrissimæ* MAŁACHOWSCIORUM *Domus*
pro exigentia temporis, & sua qua pollebat peritia,
Europæo visendum, legendumq; reliquerat Orbi.
Illi nunquam intermissus labor,
in astra, & ipsos fecit ad Superos iter.
Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ PRÆPOSITUS
Illius Præposituræ Bona *Podstolice*,
de labore manuum suarum,
quomodo in *ædificiis*, atq; Re *œconomica*,
ad perfectiorem reduxerat Statum,
nisi ipse non posset videre livor.
In collato sibi ex unanimi UNIVERSITATIS voto,
Prossovicensi Beneficio,
pro restauratione, vix jam *in suis non sepultæ ruderibus*,
quam,

quàm, majori in parte reparaverat *Ecclesiæ*,
quos? quantosvè erogaverat ſumptus?
quæ, pro ulteriori hujus Domus DEI reliquerat decore?
nulla obliterabit vetuſtas.
Si non unicuiq; conceſſum, de omnibus meruiſſe;
Vir Hic, *ínteger vitæ ſceleriſq; purus*,
ſingulorum lucrabatur corda, affectusq;.
Promeruit propenſiſſimam in ſe ſui voluntatem,
Quem incredibilis erga omnes benevolentia,
præcelſa Generis, virtutum, & Sapientiæ claritas,
Literarum, atq; Literatorum amor,
innumera de UNIVERSITATE promerita
& ultra Oratoriam attollunt pennam,
& quôvis elogiô faciunt majorem,
Perilluſtris & Reverendiſſime Domine,
M. ADALBERTE GRZYMAŁA,
Sacræ Theologiæ DOCTOR emeritiſſime,
Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis CANONICE,
Univerſitatis & Collegii Majoris
SENIOR PATER digniſſime.
Non modò vivit poſt fata ſuperſtes,
ſed etiam in Tuo perennat corde,
virtutum ac ſcientiarum encyclopædia,
præcellentium ingeniorum majeſtas,
cultioris, & eruditi ſæculi ipſa voluptas & gratia,
Cui ipſe Tullius, togatæ ceſſit lauream linguæ.
Perilluſtris Clariſſime & Admodum Reverende Domine
M. ADALBERTE BIEGACZEWICZ,
Sacræ Theologiæ PROFESSOR,
Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ DECANE,
Florem Hunc Virorum LAURENTIUM,
nulla poſſunt fatorum ferire fulmina,
ſub TUI gratioſiſſima *Protectione,*
Qui es Almæ ſcientiarum Matris Corona,
Jagellonicarum Muſarum columen,
RECTOR MAGNIFICE.

 Perilluſtris

Perillustris Clarissime & Admodum Reverende Domine,
Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR,
Ejusdemq; Facultatis PROCANCELLARIE & DECANE.
Testatus es erga illum *usq; ad funera* TUI benevolentiam,
in lugubri nuper quem expedisti *Exportationis* Actu.
Nunquam è Vestrum excidet animis cordibusq;,
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine,
M. JOANNES RYGALSKI,
Sacræ Theologiæ PROFESSOR,
Ecclesiæ Collegiatæ Sancti FLORIANI CANONICE,
Ejusdemq; Capituli & Universitatis PROCURATOR.
Generose Domine.
ADALBERTE BANACZKOWSKI,
Illustrissimi Consistorii Cracoviensis INSTIGATOR;
Illustris & Admodum Reverende Domine,
JOANNES TARSKI,
Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ CANONICE,
ultimæ Illius voluntatis,
integerrimi & mæstissimi PRÆSTITES.
In Vestrum manus
hanc præcipue post sui fata transcripsit partem,
quæ est & nobilior, & melior immortalitatis portio,
utpote Vir, Viris Illis
Quibus & integritas vitæ, candorq; sine cerussa,
& relicta, super Bonis animi, locatio,
nota, perspectaq; semper fuerat.
Utantur alii beneficiis, velut floribùs,
tam diu gratiis, quàm diu recentibùs.
Nostrum verò CAPITULUM,
ut se sui PRÆPOSITO æviternè obligatum sentit,
ita Illi, quod votorum Tui est corona,
Ejusdem Capituli DECANE,
immarcescibilem perennis gratitudinis herbam,
ad immortalem Ejus in sinu æternitatis,
offert, dicat, litatq;
AUREOLAM.





